

Minister verbi. Ex quo ipso statim apparet, non tam de V. quām Nov. Test. Sacerdotio & Sacerdotibus hic agi.

§. 3.

In ponendo statu controversiæ venit observandum. II. *Prædicatum*, Matrimonium, ejusque contractio; Per hoc autem notamus statum à DEO ordinatum *Gen. 2. vers. 18.* in quo unus mas & una fœmina in unam carnem per legitimum ac plenūm consensum indissolubili fœdere copulantur *Matth. 19. v. 15.* ut genus humanum sobolis procreatione multiplicetur, *Gen. 1. vers. 28.* mutuum adjutorium in rebus tam divinis, quam humanis firmetur *Gen. 2. v. 18.* & scortatio vitetur *1. Cor. 7. vers. 2.* Ut adeò hoc ipso excludamus non tantum vagas libidines, scortationes, stupra & incestus, sed etiam quasvis alias illicitas commixtiones, quales vel in vitioso isto concubinatu, vel polygamiâ simultaneâ deprehenduntur.

§. 4.

Ad formationem status controversiæ probè notandum III. *Ratio connectendi* hoc prædicatum cum hoc subiecto: Quæ versatur circa (α) non necessitatem, quasi non possit esse aliquis verbi Minister, nisi sit conjugatus; quod phanaticus ille Spiritus, Carolstadius insanivit; quem solidè refutavit B. Lutherus. *Comment. in Psalmos Graduum Anno M. D. XL.* scripto ad vers. 3. *Psalm. 128.* sed (β) libertatem sive licitum.

§. 5.

Quæritur scil. *An Ministris Ecclesiæ sive verbi in Nov. T. licitum & liberum sit de jure Divino, adeoque*

que